

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XXXVII. De nervis ischiatico, popliteo tibiali, plantaribus ac peroneis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

CAP. XXXVII.

*De nervis ischiatico, popliteo, tibiali,
plantaribus ac peroneis.*

§. I.

Nervus ischiaticus, femoralis posterior, ^{Nervus}
vulgo cruralis posterior, torius cor- ^{ischiatice}
poris maximus, ex duobus lumborum ul-
timis, & quatuor maioribus ossis sacri pa-
ribus factus, oblique versus posteriora de-
clinans, sub magna ossis ilei incisura mu-
sculoque pyriformi, ex pelvi proveniens,
datis musculis pyriformi & gluteis, ut &
sphincteri atque ani levantibus ramulis, inter
osss ischii tuber, trochanterem femoris
maiorem, & musculos bicipitem ac semi-
nervosum, in posteriore interioreque fe-
moris parte, crassitie sensim imminuta, ad
popliteum descendit, ibique poplitei nomen
recipit. In decursu suo peroneo, ano, par-
tibus genitalibus, venae ischiaticae, muscu-
lis geminis, quadrato femoris, seminervoso,
integumentisque ramusculos distri-
buit. Denique ad condylum femoris ap-
propinquans in duos ramos, maiorem,
ischiatricum internum vel *tibialem*, atque
minorem, ischiatricum externum vel *pero-
neum*, dispescitur. Vid. And. Vesalius l. c.
p. CCCXCI. B. Eustachii tab. anat. XX.
lit. T. & Alb. de Haller icon. anat. fasc. V.
tab. III. lit. e.



§. II.

Nervus tibialis.

Nervus ischiaticus internus vel *tibialis*, a latere musculi plantaris, inter musculos gastrocnemios sese demittens, musculi soleæ similis extremitatem perforat, atque, inter hunc longumque digitorum pedis flexorem, versus inferiorem tibiæ extremitatem descendit, datis in itinere genu, dictis musculis, tibiali utriusque, ligamento interosseo, Achillis tendini, ac pedis dorso ramulis, ligamentum annulare penetrat, sinuatamque calcanei partem perambulans, ad ima pergit, ibique in duos ramos, maiorem, plantarem internum, ac minorem, plantarem externum, dividitur. Vid. *de Haller icon. anat. fasc. V. tab. V.*

§. III.

Nervi plantares.

Plantaris internus, latus plantæ internum occupans, datis musculis thenari, flexori digitorum brevi, interossei, horumque auxiliatori, filamentis, quatuor ramulos protrudit, quorum primus interno pollicis lateri, secundus, bifidus, locis pollici primoque digito contiguis, tertius, quoque bifidus, digitis primo ac secundo, & quartus duobus digitis ultimis mittuntur. Plantaris externus, inter lumbricarium auxiliatorem flexoremque digitorum brevem procedens, modo dictos musculos, digiti minimi hypothenarem, aponeurosin plantarem, ligamenta atque integumenta communia ramulis auget, atque in duos



ramusculos finditur, quorum alter duorum digitorum ultimorum interstitia locaque vicina, iterum in duos ramulos subdivisus, petit; alter vero ad latus digiti minimi exteriorius inferiusque fertur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XX.

§. III.

Nervus peroneus, poplitei ramus ex-*Nervi
ternus*, super fibulæ caput extrorsum latus, *peroneo.* in duos principales ramos, posteriorem atque exteriorem dispescitur. *Peroneus po-
terior* musculis vicinis integumentisque ramulos tribuens, inter fibulam atque integumenta, ad malleolum externum, partem imi pedis externam, digitumque tertium demittitur, ibique duos emitit ramulos, quorum alter locis digito secundo ac tertio vicinis, alter vero huius lateri inseritur. *Peroneus exterius*, in fibulæ capite extrorsum declinans, musculos soleæ similem & gastrocnemios ramulis donat, atque, ad musculi peronei longi caput anterius inclinatus, tres ramos superiorem, internum atque externum protrudit, quorum ramuli inter se, & cum tibialis nervi ramusculis, connubia ineunt.

§. V.

Peronei externi ramus superior, inter fibulæ longique digitorum extensoris capita procedens, dicto musculo, tibiali anteriori, extensori pollicis longo, integumentisque ramulos distribuit. Ramus in-



ternus in ligamento interosseo, inter pollicis extensorem longum atque tibialem anticum, missis ad musculos vicinos ramulis, sese demittens, atque ligamentum annulare penetrans, sub extensore digitorum brevi, cui atque interosseis externis filamenta dat, pedis dorsum adit, atque ad partes pollici primoque digito contiguas pergit. Externus eius ramus inter fibulam, musculum peroneum posticum longumque digitorum extensem, emissis in illos ramulis, descendens, ac ligamentum annulare supergrediens, pedis dorsum petit, ibique in duos ramos finditur, quorum alter pollici locisque vicinis, alter autem digito minori eiusque confiniis, tribuitur.

Obs. I. Extrematum nervi, in origine sua plexuosi, duriores multoque longiores, quam viscerum nervi, sunt.

Obs. II. Nervorum tibialis ac peroneorum ramuli copiosas sociates inter se ineunt, ac nervi in dorso plantaque pedis decurrentes in digitorum apicibus consimiles connexiones inter se faciunt.

CAP. XXXVIII.

De nervorum actione ac spiritibus animalibus.

§. I.

Nervorum actiones. **N**ervorum ope fluidum subtilissimum mobilissimumque, in encephali ac medullæ spinalis substantia medullari secretum,